DE
NOVO LEUKAEMIAE EXEMPLO
DISSERTATIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES
RITE ADIPISCENDOS
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
DIE IV. M. APRILIS MDXXXLXII.
CCC

AUCTOR
GUILELMUS GEISS
STASSFURTHENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT
FR. KRAUSE. DR. MED.
P. DANNEIL. DR. MED.

HALIS SAXONUM
TYPIIS HEYNEMANNII.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Leukaemia, Leucocythaemia, Polyleucocythaemia nominibus hoc tempore morbus corporis humani significatur is, quo sanguinis corpuscula alba magis magisque augentur, rubra autem ita intercidunt, ut decoloratio quaedam sanguinis oriatur, quam Virchovius Leucopathiam vel albinismum sanguinis appellavit. Una cum illo quem dixi morbo enormis semper existit hyperplasia, qua vel splen vel glandulae lymphaticae vel hae simul cum illo afficiuntur, quae organa fontes esse cellularum sanguinis jam nobis est concedendum. Morbus qualis sit, potissimum Virchovius explicat quum dicit, Leukaemiam mutatam sanguinis texturae formationem esse, quae pendeat ex certis organis.

Morbi historia.

Negari non potest, morbum nostrum jam antiquiore notum fuisse tempore. Exstant enim permulti apud scriptores *) veteres loci, quibus sanguinem aegrotorum quorundam colorem sanguineum ámisisse atque albo puris, lactis, chyli, pituitae colore affectum esse explicatur. Quin etiam de splenis hypertrophia a multis mentio fit. Perspicue vero nondum quisquam hunc morbum cognoverat; quae inscientia usque ad novissima exstitit tempora. Anno enim 1845 Benettus, quum exemplum hypertrophiae splenicae et hepaticae describeret, sanguinem saniosum esse disseruit. Nec magis probatae quam haec aliorum fuerunt sententiae: Pyorri enim causam morbi in haemitide, Craegius autem in puris resorptione sitam esse voluit. Virchovio demum merito tribuendum est, quod primus accuratam huius morbi exhibuit cognitionem. Is enim quum Augusto mense an-

*) Haller Elementar-Physiologie 1760. Tom. II. p. 14—17.

ni 1845 exemplnm Mariae Straide explicaret, cellulas illas nullo colore affectas alba sanguinis corpuscula esse disputavit; qua de causa morbo Leukaemiae nomen imposuit. Quapropter ille morbi inventor habendus est, quamquam non potest negari, Bennettum jam ante Virchovium tam res ad morbum attinentes istum publicavisse quam priore ac majore contentione atque monographia de illa re meliorem notitiam praeclarasque de morbi natura adnotationes exhibuisse. Pariter ambo auctores, quum de principatu inter se contenderent, de nomine controversiam habuerunt. Nomen enim Leukaemiae quod Virchovius dyscrasiae illi indiderat, Bennettus Leucocythaemiae voci, quam ipse posterius proposuerat, posthaberi voluit, propterea quod priore nomine medici pinguem quoque et chylosum sanguinem significassent, praeter id quod sanguis albarum cellularum plenus album colorem non haberet. Cui sententiae Virchovius his fere causis repugnat. Omnis sanguis nec non normae maxime congruens certum numerum corpusculorum coloris indigentium continet, quae et physiologice digestione ac gravididate et pathologice permultis febribus et acutis et typhosis augentur. Hanc amplificationem censuit omnino vocari posse Leucocythaemiam; quare ea quoque vox morbo isto non suffiat, sed Polyleucocythaemia etiam melior et justior sit. Sed tamen novissimo tempore nomen antiquum permansit. — In Germania, post res illas annis 1845 et 1846 publicatas litterae magnopere accreverunt, ita ut annis sequentibus multitudo gravium disceptationum in Virchovii archivo praesertim, exsisterent. Nam in iis libellis Uhlius, Griessingerius, de Pury, Hesschlius quaestiones de morbo isto publicaverunt. Pariter eruditorum acta antea bene auxerant et Schreiberius dissertatione sua inaugurali, quam de Leukaemia scripsit et Vogelius professor, qui postquam primus inter Germanos Leukaemiam in vivis hominibus cognovit, in Virchovii pathologia morbum hunc brevi in conspectu posuit. Neque minus in Anglia ex eo tempore, quo Bennettus graviores illas, quas composuerat, res publicarat, observationes de isto morbo accreverunt. Aprili mense a 1851 Lebertus eorum quae Bennettus observaverat exemplorum analysim in Francogallicum

transsvertit sermonem iisque in libellis, quibus „gazette médicale“ nomen est, promulgavit. Hunc secutus est a. 1853 Leudetus Francogallus, qui majorem alienorum observationum contentionem una cum proprio exemplo litteris custodivit. (Bulletin de la société anat. 1852 tom. 27 p. 126.) Iisdem in commentariis Robinus et Charcotus sententias commentationesque suas ediderunt. Praeterea Vidalius aliique velut Schneppfius, Hervezius, de Chégrinus, Sèrius, Terrierus, Becquerelus, Portalierus, Woillezius, Laveranus huic rei operam dederunt, ita ut repente, disceptatione in academia Parisiensi facta multa palam fierent exempla. Gravissimam vero illo de morbo quaestionem Virchovius in collectis suis disputationibus (1856 pag. 190.) exhibuit, qui quum eum ex variis pertentaret, maxime ad id doctorum animos intendit, quibus ex rebus abundantia albarum cellularum quaerenda sit. Sequente anno 1857 idem in annalibus suis Caustatticis (Bd. III. p. 125 etc.) exempla quinque et viginti nova promulgavit. Eodem fere tempore Friedheimius accuratam edidit explicationem exempli unius, quod et res aliquas novas docuit et permultas confirmavit antiquiores. Denique Waltherius in Schmidtii annalibus et exempla multa composita et proprias de Leukaemia dissertationes in conspectu posuit. (Bd. 97. Jahrgang 1858 No. 2.)

Anatomia pathologica.

Mutationes, quae in hominibus Leukaemia absumtis vulgo inveniuntur, partim ad sanguinem partim ad organa quaedam ut splenem, hepar, glandulas lymphaticas pertinent. Praeterea alia saepe morbo correpta sunt organa; quae res secundaria est, quum mutata sanguinis qualitate, mutato eius circuitu exauctis his modo quae dixi organis oriri soleat. Maxime permutatus est sanguis, quia et compositionem chemicam et qualitatem physicam, differentes plane cum prioribus accepit. Mutato enim ordine, id quod maximum est, corpuscula colore nullo affecta aucta sunt, quum comminuta sind illa rubra. Quum enim, Virchovio auctore, corpore valente inter trecentas triginta quinque vel trecentas quinqua-

ginta septem rubras sanguinis cellulas una tantum inveniatur alba; in levibus morbi exemplis ita se habet res, ut in duodecim vel undeviginti rubris una contineatur alba. Quin eam sanguinis mutationem iam medici perspexerunt, ut non modo in cellulis rubris sex vel quatuor vel duabus unam invenirent albam, sed et albas duas in rubris tribus. Praeterea observatum est, non in quaque Leukaemia alba sanguinis corpuscula omnia paria esse, sed illa cellulas bene excultas efficere, quae saniosis similes sunt cellulis et unum aut plures continere nucleos parvos, vel innumerabiles et granulatos esse nucleos, qui plerumque nucleolo praediti sint. Hi quos saepius membrana quaedam arcte complectitur, magnitudine quoque persimiles sunt glandularum cellulis lymphaticarum. Quam ob rem Virchovius distinxit inter lienalem Leukaemiam et lymphaticam, quum illas formationes ad lienalem istam, has ad lymphaticam Leukaemiam referendas esse putaret. Cui autem rei non assensi sunt Isambertus et Robinus quoniam in Leukaemia lienali elementa quoque ea, quae illi lymphaticae tantum adscriberentur, accurate observassent. Certe quidem dubium est, utrum exemplum id, quod illi observarunt, justa Leukaemia lienalis fuerit, an non potius, id quod maxime solet esse, lienis tumor cum lymphaticarum tumescentia glandularum coniunctus fuerit.

Ipse enim Virchovius non negat, ambarum formationum in uno exemplo inveniri posse praesentiam; ita enim disserit: „Je ausgedehnter die Erkrankungen der Lymphdrüsen sind, um so zahlreicher sind die lymphatischen Elemente im Blute und selbst die gleichzeitige Erkrankung der Milz genügt nicht, den eigenthümlichen Character zu verwischen, den die Entmischung des Blutes von den Lymphdrüsen aus erlangt. Umgekehrt sehen wir bei bedeutender Erkrankung der Milz gleichzeitige Hypertrophie der Lymphdrüsen, allein auch hier dominirt der lienale Character.“ Admodum etiam est mirum, quod alba corpuscula in diversarum corporis partium sanguine non sunt aequabiliter divisa, quum in vena lienali ut exemplum adducam, plures inveniantur cellulae albae quam alio loco; quod Uhlius et Griessingerus demonstrarunt. Si denique ma-

jorem sanguinis copiam sive venarum sectione sive cucurbitis, acceperis, pulsandoque exemtam eam ex fibrino, postquam in altum angustumque vas infundisti, in aliquo loco collocaveris, ita ut corpuscula cadant in solum, superior eius massae pars albida est quasi lac. Quae proprietas, quum non in moleculis pinguibus et in sanguinis sero suspensis, sed in ingenti corpusculorum coloris indigentium copia sita sit, non evanescit aethero miscendo. Simili modo placenta sanguinis granulationes exhibet canas, quas si mikroscopio contemplaris, corpuscula infucata et convoluta esse intelliges. Eodem saepe colore etiam magis affectae sunt coagulationes, quae in corde et in venis, ubi inveniuntur, molles, semiliquidas, ravas, faeci similes massas effiiciunt. Quarum colores in diversissimis variant locis, prout sanguis in vasis corpusculorum aut maiorem aut minorem copiam continet. Itaque in corde dextero, in arteriis pulmonis eorumque ramis, in cordis venis, in arachnoideae vasis coagulationes oriuntur, quae natura tenera ac fragili, colore sufflavo vel prasino in summam cum pure gelato similitudinem accedunt. Serum sanguinis non est faeculatum sed clarum et quod ad pondus eius specificum attinet, vix mutatum. Sed chemice etiam sanguis eorum, qui Leukaemia affecti sunt, mutatus est. Chemici vero quum adhuc magna ex parte id solum sequerentur, ut quantitative cognoscerent singulas res, ex quibus confletur et efficiatur sanguis, qualitativas eius mutationes usque ad novissimam aetatem omnino non curaverunt. In Waltheri de Leukaemia disputatione, quae legitur in Schmidtii libris annalibus, multae quaestiones, quas Robertson, Pakerius, Vogelius, Schererus, Becquerelus, Laveranus, Robinus scripserunt, per indicem expositae sunt. Ex quibus intelligitur, omnino semper inveniri specifici ponderis deminutionem, quod quum 1049 in illis expleat, valente sanguine 1052 efficit. Cuius rei causa cernitur in adauctis albis corpusculis, quae deminutis firmis elementis plus aquae contineant. Idcirco quaestionibus quum antiquioribus tum recensioribus illis, quas Strecker et Drummond in exemplis duobus nuper fecerunt, ferrum erat deminutum. Ille enim in centum cineris partibus 3,42 partes ferri oxydati, hic

vero 2,06 tantum invenit. Etiam magis specifici ponderis deminutio aquae incremento exercetur, quae quarta sui ipsius ponderis parte augeri potest. Causa vera earum mutationum, id quod quaestionibus factis perspeximus, non in eo est sita, quod in sero aqua augeatur; nam et quantitas et mixtura liquoris sanguinis vulgo aut nullo modo aut perpaulum mutatae sunt. Quamobrem solida elementa ne relative quidem augeri possunt. Atque quum absolute non augeantur, albumen, salia seri, fibrinum maneant opus est normalia, quamquam posterius illud tam ex antiquioribus Bennetti compositionibus quam ex una, quam Becquerelius instituit, analysi saepius auctum fuisse perspectum est. In aliis exemplis deminutum fuit, quod Robinus et Isambertus quaestibus suis bis viderunt. Recentiora exempla nullum huic rei attulerunt lumen. Qualitativa, quam Schererus fecit, scrutatione apparuit, leukaemico sanguine contineri acidum lacticum, acidum aceticum, acidum formicale, acidum uricum, gluteum praesertim propriumque corpus organicum, cui Hypoxanthinum nomen est. Quod quum etiam in liene inveniatur, ex adaucto liene fortasse in sanguinem transiisse Virchovius arbitratur. Sanguinis reactio, quae acida fuit, maxime perspecta est in vena lienali. In ceteris organis praeter mutatam sanguinis mixturam magnae quidem plerumque inveniuntur mutationes. Quod autem non semper ita se habet. Sunt enim exempla observata, in quibus quum sanguinis qualitas leucocythaemica fuerit, organa nullo modo mutata fuerunt. Atque, mutato ordine, factum est, ut liene et glandulis lymphaticis magnopere auctis, alborum sanguinis corpusculorum copia non esset magna. Praeterea commemorari oportet, organa non in unoquoque exemplo eadem affici permutatione. Modo enim una cum liene lymphaticas etiam glandulas magna hypertrophia laborantes videmus; modo unum tantum eorum organorum illo morbo affectum est. Omnino vero anatomicae perscrutationis summa valde est congruens. Compositiones enim statisticae nos docent, ad minimum in quatuor de exemplis quinque semper inventam esse permagnam lienis hypertrophiam, quum hepar et glandulae lymphaticae in duobus tantum de tribus exemplis tumerent.

Lienis incrementum tam crebro invenitur, ut eo nisi aliis causis enucleari potest, in conjecturam adducamur Leukaemiam exstitisse eamque ob rem sanguinem perscrutemur. Ille saepe tres vel quinque vel septem libras pondo valet, ita ut longitudo circiter viginti trigintave, latitudo decem vel quindecim vel viginti, crassitudo quinque decemve expleat centimetros. Praeterea majorem quoque exhibet resistentiam, quod si incidis facile sentias. Qua in re illa tantum exempla quae citiorem habent exitum, excepta sunt quum in iis ille molli sit constantia. Res ista, ut Virchovius vult, magna pulparum lienis hyperplasia illiusque corpusculorum enchymaticorum et ingenti textus cellulosi formatione tenetur. Videmus enim lienem in incisura fusco colore et albis affectum esse lineis, quae trabeculis nova cellulosi textus formatione condensatis respondent. Etiam punctilla alba neqne accurate circumscripta, quae mutatis lienis efficiuntur folliculis, in incisurae arida, levi, sanguine plerumque vacua superficie apparent. Folliculi albi, ut Friedheimius exposuit, tam ex cellulis parvis, puris, interdum nonnullas adipis guttas continentibus, quam ex multis liberisque nucleis, detritu pingui, cellulis delapsis constiterunt. Jam inveniuntur in superficie, incisione facta, et foramina inhiantia, quae vasis respondent amplificatis, et inferci haemorhagici, qui primum in superficie sedem habent, deinde cuneatim sese ad mediam tendunt, ad postremum viescunt. Quod quum fit, color eorum fuscus paullatim mutatur in sufflavum, caseo similem, qualis proprius est tuberculis. Postremo loco cicatrix remanet flava. Lienis capsula densata et non translucida est, atque ad partes adhaerescit vicinas, quae partim loco suo pelluntur partim comprimuntur. Similem partium constituentium hyperplasiam glandulae exhibent lymphaticae locorum omnium. Itaque permultae superficiales et colli et regionis inguinalis lymphaticae glandulae, deinde glandulae et mesenteriales et lumbales admodum tumidae apparuerunt. Superficiem habuerunt nitidam et albam constiteruntque ex molli, fere liquida, alba massa quae ex incisura prolabebatur. Substantia corticalis et substantia medullaris inter se pares fuerunt. Parem mutationem plaques Peyerici quae dicuntur

et glandulae solitariae in intestino exhibuerunt, quae prominentias parvas et planas effecerunt, et Typhi infiltrationibus fuerunt simillimae. Interdum quoque glandula thyreoidea et capsula atrabiliaria et renes correptae sunt, quae saepenumero notas morbi Brigthii et infercta urinae acido affecta et ecchymoses exhibeat. Quin Virchovius disserit in locis, ubi glandulae exstant nullae, earum substantiam inveniri eamque ob rem veram et novam factam esse formationem. Quod ut demonstret, de exemplo facit mentionem, in quo pelvis minor plane expleta fuit substantia glandulosa. Similia Friedheimius de illo, quod anno 1857 descripsit, exemplo narrat, quum in pleura medullosas, molles, candidas, tumidis similes mesenterialibus glandulis observaret massas, quae ex enumeralibus elementis albis, partim nucleis partim cellulis constiterunt, et a praeexistentibus textus cellulosi corpusculis profectae esse visae sunt. Etiam hepar adaugetur ita ut quatuor quinqueve immo etiam octo quatuordecimve libras pondo valeat. Idem hoc solidiore substantia est, densiore consistentia, colore fusco. Praeterea medio insita in eo Virchovius punctilla invenit subcandida, quibus hepatis acinorum magnitudo fuit. Liquor ex illis expressus granosa continuit elementa, quae lymphaticis similia fuerunt nucleis. Quam ob rem ille ea novas in hepate formationes esse disseruit, quum elementorum lymphaticorum opera vera exstitisset acinorum normalium subconstitutio. Hepatis vasa valde fuerunt amplificata. Illas quidem organorum mutationes directo coniunctas esse cum Leukaemia concedere licet, ceterae vero secundariae sunt. Itaque exsudata hydropica, quae in cavo et thoracis et abdominis atque in cutis textu celluloso sunt, ex aquatica sanguinis qualitate et ex circulationis turbationibus pendent. Pariter diathesis haemorhagica, in qua enchymoses atque sanguinis profusiones exsistunt, ex eo quaerenda est, quod vasorum parietes male sustentantur. In catharrhis pulmonum atque intestini, qui etiam plerumque adsunt, ulcera intestini ac tuberculosis pulmonum, quae interdum inveniebantur complicationes sunt.

Aetiologie.

Duplex est sententia de eo quo modo morbus iste oriatur. Virchovius enim aegrotationem organorum quorundam primariam esse putat, ex qua dyskrasia pendeat. Contra ea Griessingerus lienis tnmorem secundarium esse dicit, qui collectis cellulis albis oriatur. Cui opinioni exempla a Benetto et a Virchovio observata impugnant, in quibus, qui iampridem tumor et glandularum lymphaticarum et lienis conspectus esset, sanguis nullo modo mutatus esse visus est. Hoc idem alia Virchovii praeclara inventione de Leukaemia et lienali et lymphatica comprobatur. Quo enim alio modo observationes illae explicari possint nisi si disserimus mutationem sanguinis elementā tum lienalia tum lymphatica ferentis a lienis et glandularum lymphaticarum mutatione proficisci, quae semper cum illa conjuncta sit? Eae quantam vim habeant in sanguinis formationem, quaestionibus recentioribus, quas Brückerius, Dondersius et Koellickerus imprimis fecerunt, probatum est. His enim perspeximus, continuum cellulosorum in glandulis elementorum incrementum inveniri, quae quum solvantur, una cum liquore profluuntur. Quod alborum sanguinis elementorum incrementum magnitudinem illius accretionis et solutionis nón modo necessitate quadam attingit sed et libera et lymphatica in organismo formatione, conditionibus pathologicis etiam solito magis augeri potest. Friedheimius purarum sanguinis cellularum accretionem a textus cellulosi corpusculis deduxit, in quibus endogena ut ita dicam formatione cellulae nucleique oriantur. Quam ob rem in liene et in glandulis lymphaticis textum cellulosum eam esse partem, a qua purarum proficiscatur cellularum formatio. Quibus ex omnibus quamquam intelligimus organis iis, quae cellulas faciunt enchymicas, magna ex parte purarum incrementum effici cellularum, tamen id non perspicimus, utrum atque quo modo haec explicationem cellularum exhibent rubrarum et quales organismi mutationes omnino res illas complexas totius morbi rationis producant. Alii quidem vim febris intermittentis antea superatae presserunt, alii exercere conati sunt id, quod in

digestione, tam in gravididate quam in acutis et typhosis febribus purae sanguinis cellulae augeantur; sed omnis perdita fuit opera. Inter typhum et Leukaemiam cohaerentiam principalem posse locum habere colligere licet ex una de Friedheimii observationibus, quum acuto Leukaemico renis lienisque tumore, medullaris glandularum intestini tumescentia illi, quae invenitur in typho, plane similis fuerit. Denique ad id etiam Virchovius intendit animos, quod fortasse inflammationibus acutis principales huius morbi causae teneri possint. Affert enim exemplum, in quo et intra splenem et extra capsulam vestigia multa inflammationis exstiterant. Neque magis vitae conditionibus, aetate, genere morbi huius causae explanari possunt. Fere omnes, qui Leukaemia absumpti sunt, ordinis fuerunt eorum, qui opere quaestum faciunt. Quod ad aetatem attinet exempla ita se dividunt: enim observatum est exemplum inter 1 et 10 aetatis annum; duo inter 10 et 20; tria inter 20 et 30; septem inter 30 et 40; quatuor inter 40 et 50; tria inter 50 et 60; tria inter 60 et 70.

Symptomatologia.

Plurimis in exemplis morbi ratio est chronica, febri non accedente; rarius acuta est, quum exacerbationes febriles remissionibus per vices succedant temporalibus. Illa aliquamdiu latere solet. Initio enim aegroti molestia laborant universali, capitis doloribus, vertigine, permagna laboris fuga. Turbationibus digestionis macrescunt et vehementer languent. Cutis pallido et luteo afficitur colore. Interdum in corpore dolores rheumatici et vagi exsistunt, qui saepe in regione obsidunt lumbali. Spatium stadii illius prodromalis admodum variat, donec omnino lienis vel glandularum lymphaticarum accretio et sanguinis permutatio appareant. Lienis autem incrementum saepe nulla ratione coniunctum est cum sanguinis permutatione, quare magnus inveniri potest organorum tumor, sanguine non valde mutato; quod etiam vice versa fieri potest. Auctus qui sequitur lienis vel glandularum lymphaticarum aut aequabiliter procedit aut impetu saepius capto pro-

greditur; quod posterius dolores excitat atque id efficit, ut aegroti febrire soleant. Perspicue incrementum illud interruptum apparuit in eo, quod Schreiberus descripsit, exemplo quum quoties menstruatio cadebat, novus quoque morbi processus exsisteret. Una cum Leukaemia lienali, id quod plerumque quidem accidit, semper lymphatica oriatur opus non esse iis probatur exemplis, quae Virchovius, Vogelius, Niemeyerus, Rineckerus observarunt quum liene magnopere tumente lymphaticae glandulae ne minime quidem auctae fuerint. Splen, qui mox ultra sinistram costarum marginem sese tendit, tandem ultra umbilicum usque ad hypogastrium se tendere et sinistram abdominis partem vehementer protudere potest. Ibi tum tumorem animadvertimus durum et planum qui aegroto sensum excitat hebetis doloris. Saepius autem acuti sunt dolores, quippe qui a peritonitide circumscripta vel ab extensione nimia et celeriore capsulae profecti sint. Eadem in dextera inveniuntur parte, ubi hepar adauctum situm est. Iam eo, quod organa illa adaucta stomachum comprimunt digestio impeditur. Quare appetitus, qui iam deminutus est, plane evanescit, ut aegrotus si quid sibi sumpsit, moleste se habeat et parva cibi copia impletus sit. Huc accedit quod nausea, vomitus, flatulentia, quae ortae sunt mala digestione, laborantem excruciant, cuius alvi deiectiones initio morbi obstructae diarrhoicae fiunt et dolores excitant. Quae accidentia saepius quidem aliquamdiu meliora fiunt, postea vero multo acrius cadunt. Praeterea aegroti catarrho laborant bronchiali, ita ut tussi vehemente cum exsecratione coniuncta affici soleant. Adde quod minimo corporis motu illi dyspnoëam habent, quae deficiente propria causa saepe fieri potest apnoëa. Dyspnoëa ista maxime deducenda est ab inopia coloratarum sanguinis cellularum, quae aëris in pulmonibus permutationem perficiunt. Sed ista praeter id, modo quod enarravi multum conferri potest eo, quod praecordia sublata sunt. Iam aliam Bambergerus affert opinionem, qui ita quoque illam oriri posse putat, ut vasa capillaria pulmonum corpusculis sanguinis conglutinatis et colore non affectis obstruantur. Quod ita se habere posse Isambertus et Robinus confirmant, qui in

pulmonum capillaribus vasibus permultos et confertos viderunt nucleos. Saepius tuberculosis vel pneumonia accidit, qua finis acceleratur. Denique vero illa organa adaucta magnam circulationis producunt turbationem, quum eo quod vasa comprimuntur in illis haesitationes exsistant, ita ut facultas sit nascendae ascitae et anasarcae. Ascitae autem origo partim etiam in mala sita est qualitate sanguinis, qui eo quod ex naso, ex gingiva et intestino crebrae et maturae et magnae cadunt profusiones, hydraemicus factus est. Haemoptoë et haematemesis rarius inveniuntur, profluvia autem menstrualia saepius observantur. Vasorum parietes mala laborant sustentatione, ita ut capillaribus singulis rimas agentibus, vel petechiae, purpura, ecchymoses subcutaneae, imo infercta haemorhagica in cerebro nascantur quibus aegroti pereunt; vel ii sanguinis profusionibus iteratis et abundantibus tantopere infirmantur, ut mature symptomatis debilitationis et anaemiae praesentibus moriantur. Si diathesis haemorhagica nulla excolitur, morbus plerumque complures permanet annos, quo tempore tumor lienis et glandularum lymphaticarum permagnus fieri solet. — In cordis regione et in magnis aegrotorum vasis strepitus audiuntur, qui sonis folle excitatis similes sunt. Etiam organis uropoëticis hoc morbo molestiae afferuntur. Itaque secundum quaestiones, quas Uhlius et Thierfelderus habuerunt, acidum urinale et „harnsaure Salze“ assidue magis in urina seiuncta sunt, quum in quarta tantum exemplorum parte albumen inveniri possit. Urea quam urina continet Thierfeldero auctore comminuta quidem est, sed ad corporis pondus aucta. Quantitas urinae omnino deminuta est; ea est acida et si recentem reddis, colorem habet purum, qui postea turbatur. — Cutis eorum, qui Leukaemia laborant, pallida est et subicterice colorata, eadem saepius furunculis afficitur, quod symptoma plerumque in iis apparet exemplis, quae febriculosum habent exitum. Nervi turbantur capitis dolore, aurium sonitu, acuta cerebri anaemia, vertigine, ad postremum deliriis atque coma, quibus aegroti moriuntur. Si posteriora duo symptomata deficiunt, finis accidit universo collapsu. — Accidentia universalia morbo progrediente non prorsus desunt

etiamsi in chronicis exemplis sub finem demum apparent. Febris modo vix potest sentiri, modo est gravis et assidua. Temperatio maior est facta, atque pulsus, si ab eo discedis quod mane et vesperi magna versatur in inconstantia, acceleratus est. Sudatio aut rara et parca, aut multa et omnibus noctibus recrudescens. Frigus fere semper deficit atque si adest, vulgo ex complicationibus péndet.

Diagnosis.

Una pathognomonicā nota qualitas est mutata sanguinis, quem semper perscrutari oportet si enormis lienis tumor apparet eiusque causa alio modo inveniri non potest. Saepe tumores glandularum lymphaticarum sive lienis iam permagni sunt facti, mutatione sanguinis nulla observata. Quod si ita est, inspectio tantum sanguinis saepius repetenda certam efficit perspicientiam. Praeterea illis turbationibus valetudinis universalis, quas supra dixi nempe profluviis sanguinis saepe mature accidentibus ascita, marasmo verisimillima huius morbi symptomata tenentur.

Prognosis.

Haec est infausta, quoniam iam nullum sanatum est exemplum. Ab isto temporis puncto, quo manifesta exsistunt morbi symptomata usque ad finem plerumque unus duove praetereunt anni. Interdum autem omnis res aut citius aut tardius procedit.

Therapia.

Indicationem causalem hic non possumus reddere, quia de causis huius morbi parum tenemus. Si intermittens febris prior vera causa haberi posset, perutile esset Chininum. Ceteroquin bene agamus, si aegroto ferrum, tonica, nutrimenta multi cibi exhibemus, quibus consersventur vires. Iam stomachicis et antacidis medicamentis habenda est bonae digestionis curatio atque symptomata singula ita frangi opportet,

ut adversus diarrhoeam argentum nitricum vel adstringentia alia vel opium adhibeantur. Ascites diureticis et diaphoreticis medicamentis, sanguinis profusiones Ergotino, acido mineralico, remediis haemostaticis sedentur atque domentur opus est. Medicamina resolventia velut Kali iodatum, alcalia carbonica, aqua Karlsbadensis et Vichyca, quae aegrotis rite exhibita erant, non modo nullam attulerunt utilitatem sed et incommodum, quum illos attenuarent. Neque magis mixtura medicaminum resolventium et substantiarum firmantium, quales in ferro jodato inveniuntur; neque sanguinis detractiones, quas nonnulli instituerunt auctores, remedio fuerunt. Commemoratione digna curatio est illa, quam Niemeyer adhibuit, qui aegrotae personae decoctum radicis Sassaparillae dedit, illamque postea in frigidarium misit. Quo facto organa tumentia convalescere atque reformari coepta sunt. Tum vero morbus rediit, ita ut aegrota celeriter moriatur

Ad postremum, si licet, exemplum, quod ego ipse in clinico Halensi observavi, accurate enarrabo. Hac enim descriptione summam huius dissertationis teneri mihi consilio fuit; quamquam brevem compositionem earum, quae de Leukaemia versantur, opinionum non inutilem esse arbitratus sum.

H. E. machinarum artifex viginti quinque annos natus die IV. mens. Dec. a. 1861 in nostrum nosocomium receptus est. A pueritia semper sanus fuit neque morbos, quibus aetas puerilis laborare solet, babuit. Usque ad finem anni praeteriti bene alitus et robustus fuit. Hieme anni 1856/57 subito de rheumatismo musculari questus est, quem habuit in sinistro brachio et humero. Rheumatismus paucos tantum dies duravit; mox tamen reversus est duabus vel tribus hebdomadibus intermissis. Ceterum universa valetudo hac in affectione turbata non erat. Contra rheumatismum interdum cucurbitas adhibendas curavit praetereaque portavit pallam lanatam. Sub finem mens. Dec. ann. 1860 rheumatismus postremum reversus adhibitis nonnullis curcurbitis depulsus est neque unquam ex hoc tempore revenit. Autumno anni h. s. 58. iterum doloribus pungentibus cruciatus est aegrotus infra sinistrum in-

feriorem thoracis marginem, qui dolores modo una cum doloribus rheumaticis modo singuli intrarunt. Intervallum, quo intrarunt, erat duarum aut trium hebdomadum; idemque temporis spatium perdurarunt. Sese extenderunt deorsum infra costae marginem in latitudinem duorum digitorum; pungentes erant et tam acres, ut aegrotus in latere sinistro cubare esset coactus, quo dolores paululum leniebantur. Augebantur dolores, ubi corpus movebatur, situ vero tranquillo minuebantur, quin etiam removebantur. Valetudo aegroti bona inde ex eo tempore, quo dolores intrabant (autumno a. 1858), sensim turbabatur. Facies praebebat pallidum adspectum, oculi apparebant latentes in capite, aegrotus habebat quotidie quinque vel sex liquidas defaecationes, quae nulla curationis et diaetae ratione sanari potuerunt. Praeterea turbationes in gasteris et respirationis organis non aderant, neque notabilis macies animadverti poterat. Quare noster aegrotus etiam prohibitus non fuit, quominus negotia sua (erat enim custos in laboratorio militario) administraret. Aestate anni 1860 ut videtur eam ob causam, quod militum exercitationibus interesse coactus erat, pungentes dolores insigni vigore reversi sunt. Praeterea quum montes ascenderet et velociter sese moveret, etiam dyspnoëa laboravit. His frequentibus doloribus motus aegrotus saepe dolorosam regionem manu tetigit, qua in regione mense Decembri anni 1860 tumorem magnitudine duplicis imperialis sensit, qui durus et infra et ab utraque parte accurate circumscriptus erat. Margines eius tumoris aeque rotundati erant. Tum dolores ad culmen venerunt et tumor per quinque dies ita augebatur, ut tantum spatio trium digitorum abesset a spina ilei anteriore. Quum augeretur tumor, fiebat inaequalis et angulosus praesertim dextrorsum. Aegrotus in nosocomium militum receptus est ubi postquam Kalium jodatum interius et exterius adhibitum fuit, dolores per quatuordecim dies evanuerunt. Neque tamen putor durus depulsus est et non multo post adfuit ascites, oedema scroti et extremitatum inferiorum. Ut oedematibus liberaretur, aegrotus per quatuordecim dies infusum baccarum Juniperum bibit. Oedemata hoc modo depulsa, tamen recidiva esse usque ad hoc

tempus non desinierunt. Universa valetudo magis magisque in pejus mutabatur. Inde a mense Dec. 1860 aegrotus siti cruciabatur, quae quamquam postea remittebat, tamen interdum rursus vehemens fiebat. Mense Januario anni praeteriti sudores emittere coepit, quae tantum in pedes se extendebant, et non multo post languor aderat, qui interdum intermiserat. Nec non macies animadvertebatur, quae maxime postquam oedemata evanuerant, apparebat. Sanguis ex naribus per tres hebdomades quater vel quinquies quotidie fluebat, postea bis vel ter, denique prorsus fluere desiit. Magnam copiam sanguinis nunquam uno tempore amisit. Sanguinis profluvia ex aliis organis aberant nec non symptomata nervosa sicut dolores capitis, vertigines. Demum mense Septembri 1861 questus est aegrotus de tonitu aurium in sinistra aure et de tussi, quae mane vehementior et cum micoso et albido sputo conjuncta erat. Dyspnoea magis magisque aucta est, ita ut in dorso cubare non posset sed in sinistro latere cubare esset coactus, ne respirationem nimium coërceret. Actio cordis aucta erat. Quod attinet ad organa gastrica, appetitus semper bonus manserat, gustus vero interdum acidus. Ructus et cardialgiam habebat aegrotus nonnisi quum uberius coenaverat tumque satis leviter. Defaecationes erant usque ad mensem Octobrem liquidae atque quotidie ter vel quater fiebant, inde ex eo tempore autem varius; sanguinem nunquam cum iis perdidit aegrotus. Urina recens purum flavum praebebat adspectum, posteaque mox turbabatur sedimentis uriko acidorum salium. Uropoësis uberior erat et dolore carens. Curatio aegroti a mense Majo usque ad Decembrem anni praeteriti hoc modo fiebat, ut aegrotus quotidie aqua salsa lavaretur per quinquaginta tres dies. Praeterea bibit viginti lagenas aquae e tratebra thermarum Carolinarum haustae; sed nihil ei profuit. Tum interius usque ad medium Novembrem ferrum jodatum adhibuit, et exterius unguento e Kalio jodato se oblinebat. Etiam haec medicatio nihil effecit itaque aegrotus die quarto mensis Decembris anni praeteriti in nostrum nosocomium receptus est.

Status praesens: Cutis aegroti, qui est statura modica,

pallida est et in luridum exiens atque sine pinguedine. Musculi minus exculti sunt atque languidi. Facies est tumida et membrana mucosa labiorum et palpebrarum pallida. Nec non gingiva, quae facile sanguinem fundit et lingua in qua impressiones dentium animadverti possunt, pallidae sunt. In collo, quod est satis longum, vasa apparent vehementer pulsantia, in auscultatione carotidis duo obtusi soni audiuntur, neque tamen strepitus monacharum. Glandulae colli non sunt tumentes. Actio cordis et expansio eius impulsus non erant abnormes. Oppressio cordis percussione non satis accurate terminari potest; superior autem oppressio hepatis in linea papillari intra quintàm et sextam costam incepit, in anteriore linea axillari intra sextam et septimam costam. In sinistra linea axillari oppressio lienis sese extendit usque ad sextam costam. Inter auscultandum audiebatur aspera et incerta respiratio cum perspicua exspiratione. Cordis soni in valvula mitrali paullum diffusi, ceterum tamen integri erant, cum tamen primus sonus in valvula tricuspidali et arteria pulmonali et aorta flatui similis esset. Abdomen erat magnum, extentum et turgidum. In sinistra parte convexio major est, quam in dextra et hic in regione hypochondriaca amplior quam in regione hypogastrica, ubi abdomen mollis erat neque resistebat. Umbilicus est laevis et politus. Oppressio hepatis sese extendebat in linea papillari ad infra usque ad lineam per umbilicum transversam quum in linea parasternali tantum 6 CM. ab ea distans desineret. Oppressio, quae incipiebat a sexta sinistra costa, se extendebat ad infra usque ad spinam ilei anteriorem superiorem et a latere etiam $4^1/_2$ CM. prominebat a linea mediana corporis, ita ut ambae oppressiones supra umbilicum in unam transirent. Secundum hanc oppressionem contrectari potest valde resistens neque tuberosus tumor, qui habet duros margines. Anterior margo monstrat $8^1/_2$ CM. supra umbilicum molliorem locum perspicue insectum. Integumenta abdominis supra tumorem moveri poterant. Ipse tumor etiam moveri potest, nam quum situs corporis mutatur etiam tumor locum mutat et quum difficilius respiratur, sursum et deorsum movetur. Glandulae lymphaticae in

regione inguinali paullum tumentes erant et dolore carentes. In dorso erant regiones lumbales convexae, sinistra magis quam dextra. Hoc loco oppressio a decima costa incipiebat, a sinistra vero parte iam inde a nona cognosci poterat. Hae partes inter respirationem minus movebantur. In dextra superiore extremitate glandulae cubitales paullum tumentes erant, in inferiore circa malleolos leve oedema erat. Sputa erant subalbida et mucosa. Urina habebat magnum sedimentum uriko-acidorum salium, albumen deerat, chlorides non minutae, erant et pondus specificum 1,024. In sanguine, cum numerarentur cellulae sine colore, summe auctae apparebant.

5 Dec. mane:

Pulsus 96, Respiratio 24, Temperatio 29,9 R.

urina 650 CCm. colore flavescente, sordido; alvus bis soluta tenui pulticula.

Proponitur optimus victus, praeterea decoct. cort. Chin. regiae et quotidiana ambulatiuncula.

vesperi:

P. 116, R. 30, T. 30,8.

6. Dec. mane:

P. 112, R. 24, T. 30,2.

Urina 400 Cm. colore sordido; alvus bis soluta; aegrotus multis somniis vexatus.

vesperi:

P. 104, S. 26, T. 30,8.

urina 750 Cm.; alvus bis soluta.

7. Dec. mane:

P. 104, R. 28, T. 30,2.

urinae 480 Cm., ventris dolores.

vesperi:

P. 104, R. 28, T. 30,2.

alvus ter soluta aquatico liquore.

8. Dec. mane:

P. 112, R. 24, T. 30,1

alvus quater tenui materia soluta.

vesperi:

P. 116, R. 28, T. 30,8.

Rcp. Opii puri, pulv. rad. Ipecac aä gr. 1/4 sacchar. alb. ℈ß pulv. un. mane et vesperi sumend.

urina 400 Cm. multum sedimentum reliquit; praeterea alvus quinquies soluta valde tenui humore.

9. Dec. mane:

P. 118, R. 26, T. 30,0.

urina parum sedimenti ostendit; alvus semel soluta.

Medicat: Decoct. cortic. Chin. reg.

vesperi:

P. 114, R. 24, T. 30,9.

urina flava clara; deïnde alvus quater flava materia soluta, Aegroti pondus corporis est 129 Pfd. 6 Lth.

10. Dec. mane:

P. 104, R. 26, T. 30,2.

urina 650 Cm. clara et flava; alvus bis tenui pulticula soluta.

vesperi:

P. 104, R. 24, T. 30,6.

urina 600 Cm. primum clara deïnde sedimenta reliquit aegrotus siti cruciatur.

11. Dec. mane:

P. 104, R. 26, T. 30,3.

urina 500 Cm. clara; alvus bis soluta.

12. Dec. mane:

P. 96, R. 24, T. 29,4.

urina 750 Cm., colore fulvo sordido; alvus bis tenui copia soluta.

vesperi:

P. 100, R. 24, T. 30,2.

urina eadem, sitis minuta sed in pedibus oedema et intensa alvus.

13. Dec. mane:

P, 88, R. 24, T. 30,4.

urina 900 Cm.; alvus semel soluta, sitis vehementior rediit

vesperi:

P. 88, R. 24, T. 29,8.

urina 560 Cm., alvus semel soluta, pedum et faciei oedema crerit.

14. Dec. mane:
P. 88, R. 24, T. 29,8.
urina 600 Cm. perspicua, sitis decrescit.
vesperi:
P. 88, R. 24, T. 29,8.
urina 500 Cm. sordida, alvus semel soluta.

Rcp. Tannini Ergotini aä ʒß pulv. rad. Altheae qu. s. ut. f. pil. No. 30 mane et vesperi 2 Pilulae.

15. Dec. mane:
P. 92, R. 26, T. 29,6.
urina 700 Cm. flava, perspicua; alvus bis soluta. Aegroti in abdomine strepitus fit volvendi et lingua est parum contecta.

16. Dec. mane:
P. 88, R. 28, T. 29,7.
Oedema minus; post meridiem et vesperi proponitur ambulatio. — Corpusculis sanguineis sub mikroscopio accurate numeratis albarum sanguinis cellularum rationem esse apparuit ad rubras ut 1:10.

quod nobis arbitrari licet, quum multis disquisitionibus a doctissimis professoribus Weber et Welker factis et ex decem numerationibus medio numero capto ratio repireretur ut 1:10,4 et 1:11,7; mea vero numeratione ut 1:10,46. Praeterea doctiss. prof. Welcker sanguineo colore ex sua methodo definito statuit, illius materiam jam in mullo alio morbo ita fuisse minutam, quam in Leukaemia, quae res jam crebro conjecta et dicta sed ibi primum demonstrata est — Aegroti conditio XVI, XV, XIV, XIII die ante Kal. Jan. eadem mansit. Arteriarum pulsus fuerunt 82, respiratio 24, temperatio 29,8 XIII d. ante Kal. Jan. transfusione facta aegroto tres unciae sanguinis hominis validi et firmi infusae sunt.

21. Dec. mane: P. 104, R. 28, T. 29,5.
vesperi: P. 104, R. 26, T. 30,0.
22. Dec. mane: P. 108, R. 26, T. 29,6.
vesperi: P. 100, R. 24, T. 30,8.
23. Dec. mane: P. 112, R. 26, T. 29,8.
vesperi: P. 112: R. 28, T. 30,0.
24. Dec. mane: P. 104, R. 34, T. 29,6.
conditio eadem mansit, pondus corporis 132 Pfd. 7 Lth.

Aegrotus cum relevatus sibi videatur, e nosocomio demittitur.

29. Dec. vesperi revertit.

P. 128, R. 36, T. 31,8.

Quo ex tempore phlegmone est in loci incisi circuitu; meridie bis per breve tempus frigore tentatus deinde aestu et multa siti usque ad vesperem aegrotus excitatus apparuit et dyspnoëa affectus, appetitu exiguo sed capite libero. — Medicatio: humida, calida fomenta super locum inflammatum.

30. Dec. mane:

P. 124, R. 28, T. 31,7.

Somnus inquietus, caput occupatum, sitis multa; frigor non rediit. Brachium sinistrum oedemate intumuit, sed dolore fere prorsus caret. Rubor latius extenditur, aegrotus infirmus, alvus bis soluta, urina sordida.

vesperi:

P. 124, R. 28, T. 31,9.

In brachio sinistro tumor major, item rubor latius extensus, conditio vero omnino eadem, sitis minor, sapor amarus, alvus bis soluta, urına 850 Cm. flava, multis sedimentis mixta; pedum oedema est sublatum; infirmitas magna;

Medicatio: Acidum muriaticum in cremore.

31. Dec. mane:

P. 120, R. 30, F. 31,7.

Somnus pessimus, tussis aucta; epistaxis; alvus ter tenui copia soluta; urina 200 Cm., quae multa sedimenta urico-acidi crystallis mixta ostendit.

Medicatio: humida, calida fomenta porro instituuntur.

vesperi:

P. 124, R. 28, T. 32,2.

Conditio omnino paullum melior; sitis vehemens; tussis minor: urina 550 Cm.; alvus bis soluta.

1. Jan. 1862 mane:

P. 128, R. 32, T. 31,7.

Infirmitas magna; epistaxis; urina minus mixta urico-

acidi crystallis. In lacerto sinistro impresso compluria loca dolore affecta. Inter condylum internum et olecranon tumor fluctuans ovi columbini ambitum aequans.

Medicatio: Chinin. sulphur. et humida fomenta.

vesperi:

P. 124, R. 30, T. 31,6.

2. Januar mane:

P. 160, R. 30, T. 32,0.

Somnus malus, multis somniis vexatus, magna inquies, animi lapsus; per noctem dolores pungentes in toto abdomine, maxime in splenis loco. Circa olecranon tumor mollitur, in venae cephalicae decursu tenuis linea rubra apparet. Locus ille brachii purulentus olet. Aegrotus collapsus videtur et ictericus; urina 400 Cm. fulva sine multis sedimentis; alvus bis soluta.

vesperi:

P. 152, R. 36, T. 31,2.

Somnolentia, conscientia turbata, multa somnia, lingua gravis, audiendi sensus affectus. Magna infirmitas, brachium dextrum tamquam contusum, in cubito doloribus cruciatus. Alvi dolores valde aucti sunt. Urina 450 Cm.; alvus bis soluta.

3. Jan. mane:

P. 192, R. 30, T. 30,6.

Nocte semisomnus, delirans, aurium haud exiguo sonitu vexatus, sudor vehemens, ventris dolores pungentes vehementiores apparent. Ad venam cephalicam satis perspicua rubra linea; urina 750 Cm. Aegrotus conqueritur dolores sinistri genus articuli paullulum turgidi et tumidi.

Medicatio: Morph. acetic. gr. $^1/_6$, decoct. Chin. regiae et ostreae.

vesperi:

P. 124, R. 36, T. 30,4.

Conditio omnino eadem; urina 250 Cm.; alvus bis soluta; sitis moderata.

4. Jan. mane:

P. 124, R. 40, T. 31, 4.

Per noctem deliravit; dextrum quoque genu doloribus vexatur sed tumore caret; sitis multa, appetitus melior, tussis vehementior fulvo excremento. Sinistri brachii tumor minor; urina 150 Cm. alvus quater tenui liquore soluta.

Medic.: Morphium acetic gr. $^1/_3$ decoct. Chin. regiae tinct thebaica 3 × tägl. 10 gttr.

vesperi:

P. 120, R. 44, T. 30,9.

Conditio omnino eadem, deliratio minor, appetitus deest; musculi inquieti, ventris dolores exigui, item tussis; urina 500 Cm.; alvus quinquies tenui humore soluta.

5. Jan. mane:

P. 140, R. 44, T. 30,9.

Inde a media nocte doloribus vehementioribus alvus septies parum soluta cum tenesmo; dyspnoëa et tussis aucta, sensorium liberum, urina 650 Cm.

Medicatio: Morphium $^1/_6$ gr.

Deinde levatio; sudor multus, praeterea conditio eadem vesperi $9^1/_4$ hora mortuus est.

Relatio sectionis.

In sectione quae fiebat sexto die mensis Januarii anni 1862 circiter duodeviginti horis post mortem, cutis corporis sine pinguedine apparebat lurida atque caeruleis venis, quae pellucebant, signata. Rigor cadaveris haud magnus erat, musculi minus exculti et pallidi. In collo, quod erat satis tenue et longum, venae pellucentes aperte videri poterant et impletae erant albidis concrementis et fusco cerasino sanguine qui quum insecaretur, fundebatur. Thorax erat satis bene convexus neque habebat alias abnormitates, abdomen vero praesertim in regione hepatis et in sinistro latere vehementer extentum. Membranae mucosae labiorum pallidae erant et laryngis membrana mucosa mutata erat e catarrhali inflammatione. Glandula thyreoidea paullum aucta esse videbatur atque adspectum praebebat minus politum et languidum Cum ape-

riretur thorax, qui multo fulvo atque impuró liquore (℥ 12—13) impletus erat, pulmones in cavum thoracis satis bene lapsi inveniebantur. Glandulae bronchiales praecipue in sinistro latere valde tumidae erant, ita ut nonnullae magnitudinem ovi gallinacei aequarent. Ubi persecabantur habebant colorem e viridi nigricantem et in medio erat substantia gilva caseo similis. In pleura pulmonali déxtra reperiuntur in parte inferiore vehementes injectiones, parva sanguinis extravasata et rubentes villosae straturae, quae membranis similes detrahi possunt. Ipse pulmo gravis est et tactui durus videtur. Ubi persecatur, flavum et rubentem marmorosum praebet adspectum et quasi ex granulis coagmentatus est. Ex vasibus superioris partis, si comprimitur, profluunt mucosus cruentus liquor et gilva coucrementa. Pars parva exsecta innatat aquae. In inferiore lobulo sunt nonnullae partes infiltratae, quae aqua demerguntur. Pleura sinistri pulmonis easdem mutationes praebet, quas dextra et praeterea quibusdam locis crassior facta est. Lobulus superior sinistri pulmonis badie infiltratus est, in inferiore autem simul animadvertitur magnum oedema. Venae fundunt fuscum liquidum sanguinem, arteriae habent tenuia concrementa. Membrana mucosa bronchialis est rubida et sensim muco sparsa. Pericardium continet satis magnam copiam subalbidi puri liquoris; musculi cordis quod est magnitudine modica, in dextro ventriculo languidi sunt, in sinistro autem valde exculti et ubi persecantur politum atque fuscum praebent adspectum. Endocardium paullum turbatum est; praeterea dexter ventriculus continebat parvam copiam gilbi liquoris et albida concrementa. Diaphragma in cavo thoracis sursum propulsum erat, nam a dextra parte se extendebat usque ad quartam costam et a sinistra usque ad quintam. In cavo abdominis etiam continebatur gilbus turbatus liquor, qui est mixtus multis flocculis. Peritoneum etiam vestigia inflammationis monstrabat, nam rubens erat, injectum et multis locis crassius apparebat. Lien et omentum cum lateribus abdominis erant concreta, nec non hepar et lien, ubi contigua erant. In tegumento viscerum, quae turbata erant et crassiora et habebant vasa injecta, apparebant gilva purulenta con-

crementa, quae facile detrahi poterant. Hepar quod erat in diametro transversa 28 C. M. et in maxima diametro longitudinali 25 C. M. cuiusque pondus $7^1/_2$ ℔, habebat uno loco sinistri lobuli, ubi cum liene collidit, crassius tegumentum. Substantia hepatis minus politum et colori cacaotico similem praebebat adspectum. In medio hepate multa rubra puncta animadvertebantur, quae respondebant venis centralibus. Lien, qui est longus 36 C. M. et latus 20 C. M., non solum cum peritoneo verum etiam cum pancreate concretus erat. Eius capsula crassior facta est et nimis tendinosa, margo eius anterior habet duas perspicuas insectiones et posterior etiam fissuras. Lien erat crassus valdeque firmus et durus. Ubi persecabatur, puri loci colori cacaotico similes variabant cum punctis nigricantibus, quae respondebant vasibus et fuscum sanguinem atque gilba concrementa fundebant. Constabat autem lien ex duro fibrinoso stromate et normalibus elementis ita ut hypertrophia textus normalis simul cum aucta textus fibrinosi formatione locum haberet. Exquisitione lienis chemica, quam peregit Ill. Vogel, reperiebatur magna copia Leucini, sed non constabat, num fortassis demum post mortem ex maxima parte exortum esset nec ne. Renes in universum nihil abnorme habebant praeterea quod vasa ampliora facta erant et pyramides habebant gilvum colorem. Pancreas auctum erat et firmius, praeterea non mutatum. Glandulae mesenteriales erant magnitudine ovi columbae et subalbidae; in medio autem gilvae et impletae massa molli et caseo simili. Membrana mucosa ventriculi tumuerat et contecta apparebat muco gilvo. Pars superior tractus intestinalis valde pigmentata erat et plicae Kerkringii multis nigris punctillis pictae (Zottenmelanose, Vogel, Virchow). Nec non ileum pigmentatum erat et habebat vasa multo sanguine iniecta. Praeterea agmina, quae Peyerii plaques dicuntur, paullum infiltrata erant. In pelvi parva 6—8 unciae liquoris purulenti flavi inveniuntur. Ex membranis cerebri solum pia mater et arachnoidea, inter quas paullulum liquoris confluxerat, abundabant sanguine; sinus transversus et longitudinalis crassioribus mollibus concrementis impleti erant, quae fulvum colorem habebant. In vena

mediana sinistri brachii, quod erat tumidum, est vulnus quod granulationes habet carneas. Textus cellulosus circum eandem venam densatus est. E vena cephalica eiusque ramis pus bonum exprimi potest, attamen e vena subclavia sanguis venosus et concrementa gilva Leucaemica profluunt. — E sinistri genus articulo, cuius membrana serosa inflammata est, funditur copia liquoris gilvi, qui synoviae similis est. E chemica exquisitione sanguinis, qui ex venis iliacis et cruralibus collectus erat, apparuit permagnam copiam materiarum extractarum a (HgO. NO5.) caedi (50 CM. sanguinis cecidere 2,88 gr. Hydrarg. itaque duplicem quantitatem, quam sanguis normalis caedere potest). Neque aliter in exsudatis serosis purulentis cavi thoracis et abdominis inerat magna copia materiarum extractarum. Abnormitates ceterae organorum, quae microscopio inquirebantur, eaedem erant, quae reperiri solent.

VITA.

Natus sum ego *Fridericus Guilelmus Ferdinandus Geiss* Stassfurthi die V. mensis Martii anni hui. saecul. XXXVIII. patre *Guilelmo Geiss,* qui antea doctor medicinae practicus, nunc munere consulis oppidi nostri defungitur, matre *Friderica* e gente *Stumpf,* quos parentes adhuc superstites pio ac grato animo veneror. Fidei evangelicae addictus sum. Primis litterarum elementis schola civili Stassfurthensi imbutus, deinde scholae Latinae Halensi, quae tum florebat et adhuc floret directore *Eckstein*, traditus sum. Unde octo annis post testimonio maturitatis ornatus hanc almam litterarum universitatem Fridericianam petii et ab Ill. *Moll,* tunc temporis fascias academicas tenente civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. *Volkmann* illius temporis decanum spectatissimum nomen professus sum medicinae studiosi. Per quadriennium hisce interfui scholis:

Ill. *de Schlechtendal* de botanice; Ill. *Knoblauch* de physice; Ill. *Giebel* de zoologia; Ill. *Heintz* de chemia organica et anorganica atque exercitationibus analyticis disquisitionibusque chemicis in laboratorio chemico; Ill. *Girard* de mineralogia; Ill. *Schaller* de psychologia; Doctiss. *Allihn* de logice; Ill. *Volkmann* de anatomia systematica, de dissectionibus anatomicis, de physiologia experimentali; Ill. *M. Schultze* de osteologia et syndesmologia, etiam de organis sensuum; Ill. *Welcker* de sensuum organis, de anatomia microscopica; Ill. *Blasius* de chirurgia generali et speciali, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia vulnerum, de akiurgia, de chirurgorum auxiliis mechanicis, de operationibus ophthalmiatricis; Ill *Vogel* de pathologia et therapia speciali, de semiotice et diagnostice; Ill. *Krahmer* de pharmakologia; Doctiss. *Mann* de auscultatione et percussione et de pathologia generali; Doctiss. *Graefe* de ophthalmologia; Beat. *Hohl* de arte obstetricia. Scholas clinicas frequentavi: Ill. *Blasius* chirurgico-ophthalmiatricas; Beat. *Hohl* obstetricias; medicas Ill. *Vogel,* deinde Ill. *Weber.*

Quibus viris omnibus optime de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias.

Iam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso rite superatis spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Cordis contractiones ad sanguinis circulationem sufficiunt.

II.

Amenorrhoea non morbus sed symptoma.

III.

In dyskrasiis operationes chirurgicae nonnunquam admitti possunt.

IV.

Abortum artificiosum instituere non licet nisi in angustissima pelvi hac conditione, ut postea in partu sectionem caesaream admitti non posse certo praevideas.

V.

In morbis cutis curandis remediis, quae appellantur alterantia, carere non possumus.